


2/95

KALENDIS IUNIIS

MCMXCV



RVMOR VARIVS



TOMVS 18

FASC. 108

# PRÆFATIO

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann** publicitatis est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.  
Dr.phil. Emanuel Bernard  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:  
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann publicitatis  
Stadthausstrasse 65  
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicitatis herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.  
Dr.phil. Emanuel Bernard  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:  
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann publicitatis  
Stadthausstrasse 65  
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

Amicae et amici nostri!

Paulo post Idus Apriles diem paschae egimus. Quoque anno homines nostrarum regionum iam ante illam diem festam saepe de lepore paschali et de ovis paschalibus narrare et cogitare solent, et in omnibus tabernis gallinae et lepores socolatae ovaque omni modi frequentissima inveniuntur. Sed quomodo illa coniunctio leporis et ovi se habet? Nuper in actis diurnis Bernensibus nomine 'Bund' carmen a poeta Theodisco Eduardo Moerike (1804-1875) compositum, quo coniunctionem leporis et ovi facete iocoseque descripsit, legi. Ecce carmen, quod versiculis mediocris in Latinum vertere conatus sum:

Sophistae pastoresque disputabant  
et magna voce rixis conclamabant:  
Quid creavit Deus primum?  
Dic, gallinam sit an ovum?

Id tam difficile est solvendum?  
En, ovum est inventum primum,  
sed, cum gallina esset nondum,  
sic lepus apportavit ovum.


Sed videte carmen originale quoque:

Die Sophisten und die Pfaffen  
stritten sich mit viel Geschrei:  
Was hat Gott zuerst erschaffen,  
Wohl die Henne? Wohl das Ei?

Wäre das so schwer zu lösen?  
Erstlich ward ein Ei erdacht:  
Doch weil noch kein Huhn gewesen  
Schatz, so hat's der Has' gebracht.

Primum autem testimonium leporis ova parientis in scriptis anno 1682° compositis ab medico Heidelbergensi Georgio Frank, quibus ille de morbis frequentibus post ova leporina

magno numero comesa refert. Ita de monacho Franciscano narrat, "qui tempore paschali rubrum ovum integrum devorare



voluit. Sed ovum nimis magnum et gula monachi nimis parva erat, itaque mox suffocatus est." Et de lepore paschali scribit: "Parvis liberis et hominibus simplicibus stultisque imponitur leporem paschalem ea ova excludere et in hortis occultare."

Etiamsi nostra aetate in omnibus fere regionibus linguae

Theodiscae lepus paschalis vulgo notus est, non semper res ita se habuit. In Tirolis etiam de 'gallinis paschalibus' narratur, quae ova pariunt; in Bavaria Superiore (Oberbayern), Austria (Oesterreich), Thuringia (Thüringen) Slesvica-Holsatiaque (Schleswig-Holstein) gallum id facere dicunt; in quibusdam regionibus Helvetiae cuculus ova apportare fertur.


Opinantur quoque duo symbola fertilitatis, et lepus et ovum, coniuncta esse.

Apud liberos parvos lepus est ille, qui dona a donatore ad eum, cui donantur, transfert. Scilicet nullus infans putat leporem ova parere. Homines adulti nonnumquam per iocum coniunctionem triplicem inter gallinam et gallum et leporem fingunt, et propter ova picta vel tincta gallinae coniunctionem adulteram cum lepore affingunt.

Ex saeculo 12<sup>o</sup> p. Chr. n. de ovis paschalibus refertur. Quia quadragesima interdictum erat ova consumere, ecclesia ova consecrata introduxit et statuit illa consumenda esse ea die, qua Iesus resurrexisse dicitur. Ex eo ovum etiam symbolum resurrectionis habetur.

Ceterum, scitisne quomodo dies paschae constituatur? In consilio Nicaeensi anno 325 p. Chr. n. exhibito regula constituta est, quae adhuc valet: Dies paschae quoque anno est dies Dominica prima post primam lunam plenam, quae veriniens sequitur. Hoc anno exempli gratia ver die 21<sup>o</sup> mensis Martis coepit, luna die Saturni 15<sup>o</sup> mensis Aprilis plena erat, ergo dies paschae die Dominica sequente 16<sup>o</sup> Aprilis erat.

Praeterea animadvertite, quaeso, parvam mutationem numeri domus inscriptionis cursualis Vitoduri: Ex Kalendis Iuniis anno 1995<sup>o</sup> ille numerus non iam 'Stadthausstrasse 117', sed 'Stadthausstrasse 65' (vel 'Marktgasse 28') est!

Valete!  
  
Daniel Weissmann



## Facete lepideque dicta

Lusu pedifollis finito omnes spectatores per portas e stadio effunduntur. Lucius facilitatis celeritatisque causa saepem transcendit. Custos campi pedifollis eum videns: "Heus tu!" clamat, "nonne ibi exire potes, unde intraveris quoque?!" Tum Lucius: "Id ipsum facturus sum."

Aliqui vector ad magistrum navis: "Puto, domine capitaneus, navem rimam agere." Capitaneus: "Qua de causa id putas?" Vector: "In piscina navis pristis (1) natat!"

"Ubique papilionibus me opprimunt!" vir excitatus apud psychiatrum vocat et brachiis vehementer movet velut fugaturus illos." Tum psychiater: "Sed, mehercule, ne omnes ad me propellas!" et item vehementissime brachia movet.

"Reus", ait iudex, "iudicium tibi advocatum pauperum (2) publico sumptu concedere decrevit." Tum reus: "Maximas gratias ago, valde amabiles estis, sed si pecuniam impendere vultis, malim vos id in testem, qui testimonium pro me dicit, facere."

Auctor, qui ludum scaenicum composuit, ad praefectum theatri: "In fine mei dramatis", ait, "furcifer veneno mortem

ipse sibi consciscit." Tum praefectus theatri: "Melius mihi videtur, si pistolio utitur, ut spectatores expergiscantur!"

\* \* \* \* \*

Sacerdos et gubernator laophori (3) simul ad portam caeli veniunt. Sanctus Petrus gubernatorem laophori primum in caelum admittit. Sacerdos autem indignans queritur: "Cur gubernatorem ante me caelum intrare sinis?" Sanctus Petrus respondet: "Cum tu praedicabas, homines dormiebant. Cum ille laophorum regebat, homines precabantur."

Aliquis in taberna, qua bestiae vendebantur, ventricitem (4) interrogat: "Venditisne hic psittacos loquendi peritos?" Illa: "Non psittacos, sed habemus picum (5) eximiae pulchritudinis." - "Loquendine peritus est?" - Non loquitur, sed alphabeto Morsiano (6) uti optime scit."

Lucius ad tonsorem: "Cur canis tuus semper oculos in me defigit?" Tonsor: "Exspectat, dum tibi partem auris desecem."

"Omnibus probis caelum intrare licebit" parrochus liberis narrat. Aliquis interrogat: "Sed quid de eis, qui mala facinora commiserunt?" Tum Lucius laetus: "Hi ad patrem meum veniunt." Parrochus mirans: "Qua de causa id fit? Illine revera ad patrem tuum veniunt?" Lucius: "Certe. Pater meus enim causidicus est."

Mater in therotrophio (7) ad filiam: "Nonne tibi placeret, si canere scires velut luscinia (8)?" Puella: "Nequaquam. Magis mihi placeret, si spueret velut lama scirem."

Erus inter convivas stemmate genealogico (9) gloriatur: "...et maiores gentis meae usque ad imperatorem Barbarossam referre possumus!" Tum ad convivam quendam: "Et tu? Qua aetate gens tua est?" Ille: "Maxime doleo, quod vehementer cupiens tibi id dicere nequeo. Nam documenta iam in diluvio perierunt."

- |                           |  |
|---------------------------|--|
| 1) pristis,-is            | Haifisch/requin/pescecane/tiburón/shark  |
| 2) advocatus pauperum     | Pflichtverteidiger/avocat commis d'office/difensore d'ufficio/difensor de oficio/assigned counsel                              |
| 3) gubernator laophori    | Buschauffeur/chauffeur/autista/conductor de autobús/bus driver   |
| 4) ventrix,-icis          | Verkäuferin/vendeuse/venditrice/vendedora/saleswoman   |
| 5) picus                  | Specht/pic/picchio/pico/woodpecker   |
| 6) alphabeto Morsiano uti | morsen/emette des signaux Morse/telegrafare con l'alfabeto Morse/transmitir por señales Morse/ to signalling in the Morse code |
| 7) therotrophium          | Zoo/jardin zoologique/giardino zoologico/jardín zoológico/zoo  |
| 8) luscinia               | Nachtigall/rosignol/usignoto/ruiseñor/nightingale  |
| 9) stemma genealogicum    | Stammbaum/arbre généalogique/albero genealogico/árbol genealógico/family tree  |

Daniel Weissmann



## COMMEMORABILIA

### Volatus sine reditu

Quinquaginta fere annos abhinc avolavit Antonius de Sancto Exuperio (Antoine de Saint-Exupéry) cum aeroplano neque umquam posthac revertit.

Antonius Ioannes Baptista Maria Rudigerus comes de Sancto Exuperio (Francogallice: Antoine Jean Baptiste Marie Roger

comte de Saint-Exupéry) die Veneris 29° mensis Iunii anno 1900° Lugduni in oppido natus est et ibidem cum fratre tribusque sororibus adolevit, filius gentis veteris nobilitatis Francogallicae ad pauperpatem redactae.

Annos fere tredecim natus in somniis iam se vidit more Icari, filii Daedali, per universum volaturum esse.

Antonius autem in schola discipulus est solum mediocris, examen rigorosum aditus ad Academiam Navalem Francogallicam non superavit atque Scholam Bonarum Artium iam mox fieri potest reliquit.

Anno 1921° in servitium militare convocatus et regimento volatorum (1) Argentorati (Francogallice: Strasbourg) in oppido assignatus est. Mense Decembri anno 1921° iam licentiam aeroplanum ducendi recepit atque ad Burgetum (Francogallice: Le Bourget) in propinquo Parisiorum Lutetiae collocatus est. Servitio aereo militari feliciter peracto Antonius anno 1926° in servitium aerium civile introiit Societatis Petri Latecoerii (Francogallice: Compagnie Pierre Latécoère, 1883-1943), quae die 25° mensis Decembris anno 1918° negotium incepit aerilineae inter Tolosam (Toulouse) et Barcinonem (Barcelona) cum volatibus commercialibus (2) et postea anno 1919° volatus extendit ad Maruecum (Marokko) et anno 1925° ad Dacariam (Dakar), caput Senegalii (Senegal). Anno 1927° Societas sive Compania Aeronautica transnominata est et postea designationem habuit 'Compania Generalis Aeropostalis' et interdum suscepit aerilineam transatlanticam ad Bonos Aeres (Buenos Aires) in Argentina. Anno autem 1932° - ruina fortunarum et clade accepta fiscali - pristina Societas Latecoerii translata est ad Aerem Francogallia (Air France). Anno 1926° Antonius volatus cursus publici (3) via Tolosa - Casablanca - Dacariam suscepit. Eodem anno in vulgus est editum primum opusculum litterarium, narratiuncula 'Aviator' (L' Aviateur).

Anno 1929° Antonius director factus est Societatis Aeriae nomine 'Aeroposta Argentina' Bonis Aeribus in urbe Argentinae. Instituit autem ibidem novas aerilineas cursus publici a Bonis Aeribus ad Patagoniam atque Sanctum Iacobum Chiliae (Santiago de Chile). Eodem anno in vulgus edita est prima fabula romanensis titulo 'Cursor meridionalis' (Courrier Sud).

Anno 1931° Antonius tandem revenit ad Europam una cum venusta Consuelo Suncin de Sandoval, natione Argentina, quam breviter post in matrimonium duxit. In sarcinis erat manuscriptum novae fabulae romanensis titulo 'Volatus nocturnus' (Vol de nuit) cum praefatione Andreae Gidonis (André Gide, 1869-1951). Ita vita Antonii continuatur: volare et scribere - scribere et volare.

Eventus autem rerum adversarum - casus aeroplani in desertis Libyis anno 1935° - ansam dedit ad fabulam omnibus fere hominibus doctis ubivis terrarum gentiumque iam dudum bene notam titulo 'Ille Princeps parvus' (Le Petit Prince).

Anno 1938° in Guatimala cum aeroplano cadit et graviter est sauciatus.

Bello mundiano secundo exorto Antonius ad Civitates Foederatas Americae subterfugit, sed anno 1943° revertit atque in Africa septentrionali se adiunxit denuo pristinae cohorti aviatorum ut aviator-informator (4), gradu commendatoris (Francogallice: Commandant).

Appulsus autem ruptus anno 1943° ansam dedit ad vetitum volandi. Scribit nunc librum titulo 'Oppidum in desertis' (Citadelle).

Sed iam die Lunae, 31° mensis Iulii, anno 1944° denuo ascendit ad caelum hora octava ante meridiem volatus informationis causa (5) super regionem Altae Sabaudiae (Haute Savoie).

Ultimus autem volatus ille Antonii fuit tandem, volatus sine reditu: neque corpus aeroplanigae (6) neque aeroplani fracti reliquiae umquam emersa sunt.

Quantum sane quidem egomet coniectura augurari possum, quantum coniectare omnino licet, haud dubie aviatores venatores intercipientes (7) Germani eum speculati sunt eumque deleverunt. Fuit enim ea aetate tempus invasionis imminentis copiarum alligatorum sive foederatarum.

Antonius fuit non solum admirator rerum technicarum imprimis aeronauticarum, sed insuper etiam caritatis generis humani atque dignitatis et honestatis cultor adoratorque, cuius nomen praeclarum in omne tempus immortalitati est commendatum et cuius memoriam nulla umquam delebit oblivio.

Index operum Antonii de Sancto Exuperio:

Latine:	Francogallice:	Theodisce:
Cursor meridionalis	Courrier Sud 1929	Südkurier
Volatus nocturnus	Vol de nuit 1931	Nachtflug
Terra hominum	Terre des hommes 1939	Wind, Sand und Sterne (Ventus, arena stellaeque)
Aeroplaniga belli	Pilote de guerre 1942	Flug nach Arras (Volatus ad Nemetacum)
Ille princeps parvus	Le petit prince 1943	Der kleine Prinz
Litterae ad hostem obsidem	Lettre à un otage 1943	Brief an einen Ausgelieferten
Civitatela	Vitadelle postum 1948	Die Stadt in der Wüste (Civitas in deserto)

Vocabula nova usque adhuc non usitata:

1) volator	Flieger
2) volatus commercialis	Frachtflug
3) aerilinea cursus publici	Postfluglinie
4) aviator-informator	Aufklärungsflieger
5) volatus informationis causa	Aufklärungsflug
6) aeroplaniga	Flugzeugführer
7) aviator venator intercipiens	Abfangjäger

AMICUS




## RES MIRAE INAUDITAE

### Fati necessitas

(Pater recepit cor filiae)

Omnibus re et veritate telis fortunae proposita est vita hominum.

Mercator quidam Castrensis Szuber(us) (Chester Szuber), 58 annos natus, Regio Quercu in oppido (Royal Oak) Michiganiana



in civitate (Michigan; Indianice: mitschaw = magnus, gan = lacus), abhinc duos annos iam aegrotare coepit gravique morbo perturbationum rhythmici cordis correptus est. Medici proposuerunt transplantationem cordis quam celerrime faciendam, sed cor nullum promptum expositumque adfuit et operationem prolatare oportuit. Quae cum ita sint res gravi morbo aeger in indice praestolantium inscriptus est exigua scilicet cum spe.

Sed tandem interea facultas offertur. Filia enim natu minima Patricia dicta Pattia (Patty), 22 annos nata accidentia viatoria in civitate

Tennesiana (Tennessee; Indianice: tenn-asse: cochlear curvum, secundum cursum curvum fluvii Tennesiani) in Nemore Nationali (National Park) occisa peritaque est. Nunc cor eius improviso promptum paratumque est ad transplantationem.


Manus medicorum aeroplano pyraulocinetico (1) nulla mora interposita volavit ad Tennesianam civitatem. Medici excerpserunt cor filiae iam mortuae et quinque horas post cor filiae inseverunt patri.

Filius autem Robertus dictus Bobbius (Bob) transplantatione feliciter peracta opinatur: "Scio sororem meam Patriciam nunc angelam esse felicissimam in caelo."

1) Aeroplanum pyraulocineticum                      Düsenflugzeug


AMICUS

# Aenigma



1. apportatum vel toleratum
2. mente
3. metus
4. quo plantis ad crescendum opus est
5. consuetudines

Daniel Weissmann



## **Dies natales**

### **Lauren(a) Bacall(ia) septuaginta annos nata**

Flavis capillis femina cum oculis 'inexsuperabilibus', Lauren(a) Bacall(ia), actrix cinematographica Americana, septuaginta annos nata est.

Lauren(a) Bacall(ia) die 16° mensis Septembris anno 1924° Novo Eboraco (New York), in urbe Americae Septentrionalis, sub nominibus Elisabetha Iohanna (Anglice: Betty Joan) Perske nata, diem natalem iam septuagesimum celebravit. Nomen eius Bacall(ia) est nomen gentile puellare matris eius, praenomen autem Lauren (a) ei dedit scaenarum dispositor Hubertus (Howard) Hawks(ius) (1896-1977).

'Nitida illa puella Iudaea' (Anglice: This nice Jewish girl) - ut ipsa se nominavit - iam 16 fere annos nata introiit in classem scaenicam Academiae Americanae Artium Dramaticarum Novo Eboraco in urbe. Eodem tempore operata est etiam insuper sicut 'photomodula' (Photomodell). Imagine nitidae puellae mirae pulchritudinis proceris membris in fronte commentarii periodici seu horrei nuntiorum (magazini) attractus scaenarum dissignator Hubertus (Howard) Hawks(ius) eam cum actore cinematographico Humfrido Bogartio (Humphry Bogart, die 25° mensis Decembris anno 1899° Novo Eboraco in urbe nato, die 14° mensis Ianuarii anno 1957° mortuo) congregavit.

Anno 1945° Hubertus Bogartius uxorem (iam quartam!) duxit Laurenam 21 fere annos natam et die 7° mensis Ianuarii anno 1949° natus est filius Stephanus (Steven). Bogartius senior nunc de uxore dixit: "Illa pro memet est omnia, quae semper volui, et nunc Stephanus filius perficit fortunam, quae nobis favet." Sed iam octo annos dehinc Hubertus Bogartius diem obiit extremum.

Anno autem 1961° Laurena denuo nupsit cuidam Iasoni Robardo, actori cinematographico, sed octo annos post divortium illius conubii infelicis factum est.

Pelliculae cinematographicae, in quibus Laurena Bacall(ia) primas egit partes:

- Habere et non habere (Haben und Nichthaben), anno 1944°.
- Mortui profunde dormiunt (Tote schlafen fest), anno 1946°.
- Quomodo hamo piscatur sibi millionarium (Wie angelt man sich einen Millionär), anno 1953°.
- Fanaticus (Der Fanatiker), anno 1980°.

AMICUS



## **HIS AUTEM NOSTRIS DIEBUS**

### **De restauratione Pompeiani aedificii Asciburgensis peracta**

Pompa sollemni dedicationis diem festum genialiter egerunt magistratus Asciburgi (Aschaffenburg) oppidi ad Moenum

(Main) siti una cum viris illustribus invitatis universita-  
tum atque regiminis Bavaricae Civitatis occasione restitu-  
tionis Pompeiani ut dicitur Asciburgensis data oblataque.

Die 24° mensis Augusti anno 79° p. Chr. n. - ut inter omnes  
constat - Vesuvius Mons ignivomus ignes cineresque eructa-  
vit atque oppida Pompeios, Stabias Herculaneumque humo  
obruit. Ab anno 1869° oppida ea cineribus ruderibusque  
completa obrutaque secundum artem archaeologicam exacte  
accurateque effossio oppidorum ad effectum adducta sunt.

Inter alias domos etiam domus fratrum geminorum Castoris  
Pollucisque emersa est. Occasione itineris per totam Itali-  
am data animum ad aedificium illud attendit et Ludovicus I  
Carolus Augustus (1786 - 1868), rex Bavariae, filius  
Maximiliani Iosephi, et anno 1843° mandatum dedit architec-  
toni Friderico Hortulano (Friedrich Gärtner, 1792 - 1847),  
ut statuatur Asciburgi in oppido ad Moenum exemplar eius  
aedificii Pompeiani ut dicitur.

Tempore autem belli mundani II<sup>i</sup> Pompeianum aedificium illud  
aeriis coniectibus (1) ab aeroplanis bombiferis (2) radici-  
tus destructum est.

Restauratione per annos triginta tandem nunc peracta secre-  
tarius status (3) ministerii Bavari rerum fiscalium (4)  
Adalfunsus Cellarius (Alfons Zeller) aperuit Pompeianum  
illud restauratum atque praeses Instituti philologiae clas-  
sicae Universitatis Ludovico-Maximiliana Monacensis Valah-  
fridus Stramen(tum) (Wilfried Stroh), philologiae doctor  
celeberrimus, professor Latinitatis Graecitatisque, vir  
ille Latinissimus atque facundissimus, sua virtute atque  
vestmentis Romanis involutus, 'Grammaticus' dictus, conti-  
onem allocutionemque propalam - sermone puro Latino scili-  
cet - habuit et de interitu exitioque Pompeiorum commonefecit  
et meditatus est.

- |                                   |                   |
|-----------------------------------|-------------------|
| 1) coniectus aerius               | Luftangriff       |
| 2) aeroplanum bombiferum          | Bombenflugzeug    |
| 3) secretarius status             | Staatssekretär    |
| 4) ministerium rerum<br>fiscalium | Finanzministerium |

AMICUS



De nova inscriptione cursuali Societatis Latinae Turicensis  
et RVMORIS VARI

Vos, amicas et amicos nostros, rogamus, ut omnia scripta ad RVMOREM VARIVM pertinentia,  
sive epistolas sive symbolas, non iam ad aedes AKADIS Turicum mittatis, sed ad inscriptionem  
cursualem sequentem:

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann publicity  
Stadthausstrasse 65  
CH-8400 Winterthur  
(Schweiz)

Symbolae ad publicandum in RVMORE VARIO etiam ad Danielem Weissmann mitti possunt. Cuius  
inscriptio, quam iam dudum novistis, est haec:

Daniel Weissmann  
Redaktion RVMOR VARIVS  
Tellstrasse 30  
CH-3014 Bern  
(Schweiz)

Gratias vobis agimus.

Dabamus Vituduri, die XXXI° mensis Maii anno MCMXCV°.

SOCIETAS LATINA TVRICENSIS  
RVMORIS VARI domus editoria



# Nuntii miri e scientiis

## De ave homines in melle quaerendo adiuvante

Investigatores ferunt in Africa avem vivere, quae homines in melle quaerendo adiuvat. Quae avis in Kenia Boranos (Borani sunt homines cuiusdam nationis indigenae) ad alvearia abdita ducit. Nomen eius est 'indicator mellis' (termino tecnico zoologico 'indicator indicator' dicitur).

Et hominibus et avi opera eius modi usui est: Homines sine longinquis quaestionibus mel inveniunt, avis, quam Borani 'magnum ducem mellis' appellant, larvas insectarum e favis ab hominibus effractis comedit.

Modus agendi semper idem est: Borani, antequam ad mel quaerendum proficiscuntur, digitis vel testis concharum sibilant. Sibilis auditis avis advolat et attentionem in se vertit parvo spatio excitata huc et illuc saliens et fritinniens. Tum nonnulla metra porro volat et exspectat, dum homines sequantur. Eo modo eos ad alvearium ducit. In itinere Barani perpetuo ad avem loquuntur, sibilant lignumque pulsant.

Alveario invento avis iuxta assidit et fritinnit.

Indicator mellis Boranos semper via brevissima ad alvearium ducit, ut experimentis cognitum est. Constantibus spatiis temporis magnus dux mellis alvearia intacta sui territorii visitat. Interdum ad introitum assidit et introspicit.

Apud Boranos mel alimentum magni momenti est. Nationibus indigenis in aliis regionibus, qui in melle quaerendo ab ave non adiuvantur, plus minusve novem horas quaerendum est, dum alvearium intactum inveniunt. Borani tres tantum horas consumunt.

Secundum famam iam accedit, ut homines avem de mercede defraudavissent omnes favos secum asportantes. Tum avis proximum eos non ad alvearium, sed ad cubilia leopardi vel gentis leonum duxisse fertur. Talis ultionis indicium vel testimonium fidum quidem investigatores adhuc non invenerunt...

Daniel Weissmann



## DE STATUA PARVA DEAE IN FANO ROMANO APUD OPPIDUM HELVETICUM NOMINE 'THUN' INVENTA

Paulo ante diem paschae anno 1926° p. Chr. n. agricola Iohannes (Hans) Dubach apud oppidum Helveticum nomine 'Thun' in pago superiore Bernensi situm arans lapidem magnum in agro invenit. Basis erat statucae Romanae inscriptione ad deos Alpinos ornata: ALPIBVS / EX STIPE / REG(IO) LIND(ENSIS). Iam anno 1824° in eodem loco quinque templa, ara, labrum donariaque multa effossa erant. In illo campo, nunc 'Ager publicus (nostra lingua: Allmend) Thunensis' nominato aetate Romana fanum magnum erat. Et mulieres virique ex illa regione et peregrini in transitu id fanum visitantes ibi donis oblatis tutelam numinum deorum petebant vel deis pro auxilio praebito gratias agebant. Id fanum in regione inter Aruram fluvium et lacus pagi superioris Bernensis patente situm saeculo primo p. Chr. n. exstructum est et per 400 fere annos manebat.

In basi effodienda magister Franciscus (Franz) Wuillemin e vico nomine 'Allmendingen' statuam parvam cuiusdam deae 62 centimetros altam, quae de basi deciderat, invenit. Confecta est e marmore Carariensi purissimo. Praeterea donaria quoque multa velut balsamaria, brattee aliaque inventa sunt.

Statuam, quam in imagine a dex-



tra parte videtis, sculptor Italicus anno 100° fere p. Chr. n. confecit. Qua in statua signa propria plurium dearum coniuncta sunt: Tegumen capitis cylindratum ad deam orientalem Cybelen (quae a Romanis Magna Mater appellabatur) pertinere possit. Spicae in manu dextera propriae sunt Cereris deae fertilitatis. A sinistra parte deae gubernaculum magnum appositum est, quod nonnumquam etiam Fortuna dea manu tenet.

Haec statua symbolis felicibus prosperisque insigniter cumulatis ornata saeculo II° p. Chr. n. trans Alpes montes allata demum in fano deorum Alpinorum quasi simulacrum felix consecrata et collocata est.

Nostra aetate statua albi coloris tenuis est. Nonnullis partibus color in subrubentem mutatus est, quod statua per multos annos terra obiecta in agro iacebat. Nostra aetate soliti sumus statuas antiquas marmoreas vel e calce confectas quasi tenuem colorem album gerentes videre. Sed originaliter illae statuae et signa varie picta erant. Quod factum et ex scriptis antiquis, quibus de variis coloribus statuarum refertur, et ex reliquiis colorum servatis in statuis ipsis cognoscere possumus.



Parva securis votiva aenea  
Mercurio deo consecrata

Etiam dea ex oppido 'Thun' varie picta erat. Colores ex metallis et sucis plantarum confectis - ut saepe fit - non conservati sunt. Sed ex aliis statuis aetatis Romanae reliquiis colorum servatis et ex descriptionibus illius temporis colores restituere possumus.

Crines nostrae deae aurei et flavi nitebant.

In facie albi coloris tenuis oculi caerulei fulgebant, palpebrae ciliaque colore nigro fucati erant, os rubrum. Longa tunica rubra pedibus tenuis pertinebat, pallium caeruleum magna arte circum corpus positum et stellis aureis limbisque exornatum. Soleae velut corium aureatam

pictae erant. Cutis faciei, manuum pedumque colore albi erant. Nam exemplum summae pulchritudinis mulierum et scilicet dearum hominibus illius aetatis pallida cutis videbatur. Collum, brachia manusque bratteis ornata erant. Forsitan gubernaculum quoque inauratum erat.

Multo post torquis pretiosus caeruleis margaritis vitreis et aureis margaritis exornatis ad ornamenta augenda deae circumdatus est.

**Nota bene:** In Museo Historico Bernensi usque ad diem 9<sup>am</sup> mensis Iulii exponuntur ea, quae in fano illo inventa et effossa sunt. Praeterea imitatio templi illius fani spectari potest!

(Fons: Acta diurna Bernensia 'Der Bund', die 15° mensis Aprilis anno 1995°)

Daniel Weissmann



## SOLUTIONES

Ecce solutio parvi aenigmatis libelli 1/95

<sup>1</sup> A	<sup>2</sup> C	<sup>3</sup> C	<sup>4</sup> E	<sup>5</sup> D	<sup>6</sup> E
<sup>2</sup> C	R	E	D	E	S
<sup>3</sup> C	E	C	I	D	I
<sup>4</sup> E	D	I	X	I	T
<sup>5</sup> D	E	D	I	T	A
<sup>6</sup> E	S	I	T	A	T


1. appropinqua, adi
2. fidem habebis
3. prostravi, terrae afflixi
4. pronuntiavit
5. prostituta, plene praebita
6. multum edere solet

Max Müller de-Vries

# MORTES

## Elias Canetti(us)

Homo litteratus propugnatorque contra mortem Elias Canetti(us) 89 annos natus vita defunctus est.



Elias (Hebraice: Elijahu, quod est 'Deus meus Iehova') Canetti(us) die Solis, 25° mensis Iunii anno 1905° Pristasexaginta in oppido (olim portus classis Histricae Romanae, postea Turcice 'Rustschuk', Bulgarice 'Ruse' nominatum) natus die Solis, 21° mensis Augusti anno 1994° vita decessit Turici in oppido Helvetiae.

Testis auctorque geniusque universalis locuples huius saeculi hinc e hominum vita demigravit, gigas ille verax homoque ad unguem factus urbanioris notae litteris totius fere mundi doctus, titularius praemii Nobeliani in propinquitate

sepulcri Iacobi Augustini Joyce(i) (James Joyce, 1882 - 1941), filii Iohannis Stanislai Joyce(i), poetae illius illustrissimi Hiberni, humatus est in coemeterio Turici in oppido.

Elias Canetti(us) ut filius familiae Hispano-Iudaicae natus prius linguam tamquam Iudaeo-Hispanicam (Castilianam archaicam cum elementis Hebraicis, Lusitanicis et aliis) parentum sephardicorum didicit. Pater eius iam anno 1911° diem obiit extremum atque mater Eliam parvulum duobus cum fratribus linguam Theodiscam discere vi coegit, eamque ut

ipse dixit Elias tarde et sub doloribus veris ingeneratam linguam matriam, qua lingua postea omnia opera confecit litteraria. Mater cum infantibus demigravit primum ad Magnam Britanniam, deinde ad Vindobonam urbem Austriae, tum ad Turicum Helvetiae, ubi Elias - ut ipse affirmat - perfecte felices annos degit.

Postea alternis vivibus vitam degit Turici in oppido Helvetiae aut Londinii in urbe Angliae.

Per omnem vitam Elias de omnibus fere rebus humanis atque praecipue de morte meditatus est. Destinatum ac scopus eius vitae et animi exercitationis fuit adeptio immortalitatis hominis, nam mortem re et veritate iusto odio dignum esse duxit.


Genii autem illius litteris omnibus fere docti somnoque nunc aeterno consopiti numquam ex animorum hominum memoria discedet.

Opera maximi momenti Eliae Canetti(i):

Trilogia autobiographica:

- Lingua (ab interitu) servata (Theodisce: Die gerettete Zunge), 1977°.
- Facula in aure (Die Fackel im Ohr), 1980°.
- Gestus oculorum (Das Augenspiel), anno 1985°.
- Oculis privatus sive luminibus orbatus (Die Blendung), anno 1936°.
- Massa atque potestas (Masse und Macht), anno 1960°.
- Nuptiae (Hochzeit), anno 1970°.
- Comoedia vanitatis (Komödie der Eitelkeit), anno 1971°.
- Supplementa e Hampistadio (Nachträge aus Hampstead), anno 1994°.

AMICUS



Europäische Lateinwochen e.V., Frankfurt am Main (Germania)

## LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

### LATINITATEM INTER NATIONES

Septima Septimana  
Latina Amoeneburgensis

moderatores: Thomas Gölhäuser, Nicolaus Sallmann, Mechtildis Hofmann, Robertus Maier

quando?: a die 6<sup>o</sup> usque ad diem 12<sup>um</sup> mensis Augusti anno 1995<sup>o</sup>

ubi?: Bildungszentrum Johannes-Haus et gymnasium Amoeneburgense, D-35287  
Amöneburg (Amoeneburgum apud Marburgum)

pretium: 330.- DM pro victu et habitatione in domo, cui nomen "Johannes-Haus"  
(maximus numerus participum erit 30), 120.- DM pro institutione (includitur  
pretium pro duabus cenis Romanis et pro excursione)

Inscriptiones ad hanc Septimanam Latinam petuntur usque ad diem 15<sup>am</sup> mensis Iunii ad:

Thomas Gölhäuser  
Kleeberger Straße 40  
D-35510 Butzbach

Vos, discipuli, studentes, magistri sermonisque Latini amatores ad quartam Septimanam Latinam Amoeneburgensem invitamus. Discite Latine loqui! Cognoscite homines ex diversis nationibus! Studia Latina vestra fructus ferent. Hoc inter colloquia, ludos, convivia experiemini et exercebitis. Novum aditum ad cultum Romanum atque Europaeum demonstrare volumus. Sermo Latinus quam ad litteras per saecula exprimendas tam in vita cotidiana adhuc valet. Etiam res coquinarias Romanas vobis volemus, ut iucundam partem vitae Romanae antiquae cognoscamus. Apportate etiam, si vobis placet, instrumenta musica et photomachinas vestras! Si plus scire voletis, telephonate ad:

Thomas Gölhäuser, tel. (0049)-6033-16557

Vos salutant

Thomas Gölhäuser, Nicolaus Sallmann, Mechtildis Hofmann, Robertus Maier

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) -----  
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann  
publicity  
Stadthausstrasse 65  
CH-8400 Winterthur


AZB

4702 Oensingen

2/95

KALENDIS IVNIIS

MCMXCV



RVMOR VARIVS



TOMVS 18

FASC. 108